



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 240. Quid notandum sit circa jus Regaliæ, item circa potestatem & auctoritatem Romani Pontificis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

tum per metum gravem injustè incussum, nam æquivalet violentiæ; non tamen si tantum per blandicias, fraudem vel persuasionem aliam, uti habet communis: si tamen extractus sit promissione ipsiusmet Judicis spondentis impunitatem, puniri non posset, *Nav. Farin. Barb. Lex. & alii cum Delb. l. 5.* Nec potest extrahi veste, pede, manu, si horum unum protendatur extra Ecclesiam, quia censetur toto corpore remanere in Ecclesia, *Delb. d. 29. à n. 8.* Quod si violentè extractus & carceri sæculari inclusus, hinc evadat, sed è fuga retrahatur, videtur perdere privilegium immunitatis, non aliter ac si è loco sacro fugiens captus esset, *Farin. Delb. d. 31. n. 17.* De cætero extrahens aut mandans extrahi reum cum violatione immunitatis Ecclesiasticæ; item non restituens extractum, incurrit sacrilegium, excommunicationem, infamiam, reatum pœnæ capitis & multam pecuniariam, uti ex juribus & AA. ostendit *Delb. d. 35.* An autem incurrat tentans extrahere aut mandans extrahi, si effectus non sequatur, vide *Delb. d. 36.* Et multò magis incurrit pœnas illas Judex laicus, si ex ipsius mandato reus occidatur in Ecclesia, *Delb. d. 37.* Probabile tamen est posse etiam Ordinarium absolvere ab excommunicatione ideo incurfa, quia nullibi legitur esse reservata, quamvis enim reservetur violatio libertatis Ecclesiasticæ, quæ ad personas sacras spectat, non tamen immunitatis, quæ tantum respicit loca sacra, *Barb. Bonac. Ricc. & alii cum Delb. d. 38.*, qui tamen suadet oppositum in praxi, ob stylum Pœnitentiariæ Romanæ.

1397

Q. 240. Quid notandum sit circa jus Regaliæ; item circa potestatem & auctoritatem Romani Pontificis. R. De his scripsit fusè & doctè Cardinalis Sfondratus in libro quem vocavit, *Regale Sacerdotium*

tium, & edidit sub nomine *Eugenii Lombardi*, ex quo aliqua desumam.

§. I. Jus Regaliæ est primitus concessum Principibus aliquibus, præcipuè ad custodiendos fructus Ecclesiæ vacantis, non autem ad sibi usurpandos, sed reservabantur eligendo, aut ex ordinatione *Alex. III.*, *Bonif. VIII.*, *Gregorii X.* poterant in utilitatem Ecclesiæ impendi, non autem occupari à laicis, sub pœna anathematis lata à *Bonif. VIII.*. Vide *Cap. Generali*, de *Elect.* in 6. Si tamen laici Ecclesias dotarant, poterant sibi reservare pensiones ex fructibus tempore vacationis; item potuerunt consuetudine vel privilegio habere jus tum percipiendi fructus.

§. II. Reges Galliæ inter primos per Bullas *Inn. III.*, *Clementis IV.*, *Gregorii X.* habuerunt jus regaliæ, quod quali ex 4. juribus conflatum erat, nempe 1. Eligendi Episcopos: 2. Investiendi 3. Conferendi alia etiam beneficia. 4. Vacante Ecclesiâ percipiendi fructus. Et quod electionem Episcoporum attinet, hoc jus eligendi fuit varium, nam initio etiam populus admittebatur ad electionem, erat tamen potius petitio quàm electio. Postea electi sunt per synodum Episcoporum & Clericorum provincialium, sed cùm synodi cum incommodo expectarentur aut differerentur diutiùs, omissæ sunt; uti & populus paulatim nimiùm copiosus ob multas causas omnino remotus est. Post hæc fuit etiam Principum consensus requisitus, & Episcopi ac Clerus dederunt Principibus potestatem constituendi Episcopos, inò etiam Imperatoribus constituendi Romanum Pontificem, jure utique delegato, ut facerent nomine & voto Cleri, & tales à se constitutos tuerentur, sed necessitatis hæc non moris fuerunt: inde orti abusus ab anno 355., quando *Constantius I.*

Imperator Arianus *Liberio* in exilium pulso *Felicem II.* in Cathedra Romana collocavit, & ita pluribus sæculis Principes sibi arrogarunt jus eligendi ipsum adeo Pontificem, confirmandi Episcopos, investiendi Ecclesiasticos, donec tandem anno III4. in synodo Rhemenfi sub Callisto II. præsentibus 426. Patribus & Ludovico Crasso Francorum Rege jus investituræ plane ademptum laicis, & Henericus Imperator est excommunicatus, sed tandem Ecclesiæ conciliatus in Concilio generali Romæ 300. Episcoporum Anno II22., ac libertas eligendi Episcopos, & maximè Romanum Pontificem; item jus investituræ redditum Ecclesiæ. Exinde in Germania Clero permissum est eligere suos Episcopos, hac conditione, ut Electi confirmarentur à Pontifice, & ab Imperatore reciperent feuda aliaque jura sæcularia: tandem jus eligendi Pontificem anno 1274. in *Conc. Lugdunensi II.* sub *Gregorio X.* relictum est solis Cardinalibus, exclusis populo, Principibus & reliquo Clero. Nihilominus se ingerebant Principes in electiones Episcoporum, exemplo sumpto à nimia libertate Græcorum. Variæ synodi id prohibuerunt, sed per schismata & potentiam consuetudo prævaluit, unde *Zacharias* Papa Sæculo VII., ut occurreret corruptelis alioquin non emendandis, dedit *Pipino* Francorum Regi privilegium nominandi Episcopos ad omnes vacantes regni Ecclesias, & ex eo tempore Reges Galliæ eos nominabant: Anno autem 816. *Ludovicus pius Pipini* nepos *Aquisgrani* in synodo restituit Episcopis libertatem, cedens privilegio, mansit tamen etiam tunc necessitas regii assensûs; & hic modus eligendi Episcopos tenuit ad annum 1122.; anno tandem 1515. *Leo X.* jure eligendi à Capitulis avocato dedit *Francisco I.* integram facultatem nominandi ad Episcopatus vacantibus,

cantes, jus tamen confirmandi reservavit Pontifici: & hoc approbatum est in *Conc. Lateran. Sess. 2.*, Clero Gallicano frustra provocante ad generale Concilium, cum illud pro Generali agnitum fuerit. Postmodum Reges prætulerunt jus investituræ, nam sicut qui feudum à Regibus accipiebat, admittit baculum, ita Episcopi accipiebant à Rege feuda & regalia sumpto annulo & cruce, & has investituras non improbavit *Callistus II.*, eò quòd tantum videretur spectare feuda, non verò Episcopale officium: sed *Gregorius VII.* has investituras vetuit, cujus decreto institerunt *Victor III.*, *Vrbanus II.*, *Paschalis II.*, qui ab *Henrico IV.* Imperatore in carcerem coniectus est & coactus ei investituras permittere anno *1111.*, sed anno *1112.* *Conc. Lateran. & Viennense* declararunt hæc irrita fuisse. Res tandem composita est, ita ut electiones Episcoporum spectarent ad Clerum, investituræ regalium ad Imperatores, faciendæ non per anulum & crucem, sed per sceptrum. De electione Episcoporum secundum Canones antiquos videri potest etiam *Leur.* p. 2. q. 237.

§. III. Tota ratio, cur tempore Sedis vacantis liceat Regibus Galliarum ad se trahere fructus Episcopatum, est concessio *Conc. Lugdun.*, cum limitatione tamen, ubi id in consuetudine sic fuerat; Concilium autem de collationibus præbendarum Sede vacante vacantium non loquitur, hinc *Bonif. VIII.* noluit de his intelligi privilegium, sed *Philippus pulcher* Rex Galliarum & *Ioannes Parisiensis*, libro edito responderunt etiam has niti eadem ratione Concilii, scilicet longâ consuetudine & præscriptione. Non posse autem hoc jus extendi ad omnes Galliarum Ecclesias, tenuerunt plures cum *Petro de Marca* Archiep. Parisiensi, qui pro Ecclesia scripsit.

1400

§. IV. In hoc dubio, an jus Regaliæ extenderetur ad omnes Ecclesias, in parlamento sub *Henrico IV.* assertum est extendi: intercedentibus autem Episcopis, executio suspensa fuit: tandem *Ludovicus XIV.* Convocato Clero decidit & iussit *Henrici IV.* sententiam per totum regnum executioni mandari: Reclamantur pro immunitate Ecclesiarum Episcopi duo, Apamiensis & Alectensis, Romamque appellarunt, sed mortuo Apamiensi processum est ad executionem.

1401

§. V. Hoc tempore cæpit res ferventiùs agitari. Rationes Pontificis erant: Jus Regaliæ contra Canones inductum, non esse extendendum ad Ecclesias, quæ hucusque immunes fuissent, uti nec illas, quas Rex sibi recenter subiecisset per *Victorias*, quia *Conci. Lugd.* plus non dedisset, quàm consuetudo tunc induxisset. Præterea committi excessus, & à regis non tantùm invadi fructus, sed conferri omnia beneficia, præterquam curata & præbendas Theologales. Rationes Regis fuerunt, quòd tantùm insisteret majorum suorum vestigiis, non potuisse per *Conc. Lugdun.* jus Regaliæ sex sæculis firmatum immutari: Regibus hæc deberi pro summis beneficiis in Ecclesiam, nec revocari posse privilegia remuneratoria, nisi restitutis rebus, ob quæ concessa erant: alia olim fuisse onera Episcoporum, ut vel ad bella sequerentur vel sumptus conferrent &c., hæc Regem remisisse: tertiam etiam partem fructuum remanere electis, & partem reliquam impendi ad evertendas hæreses, nec posse impendi meliùs ab ipso Pontifice: nihil à Rege novi decisum, sed sententiam latam ab *Henrico IV.*, & quidem ex iudicio virorum doctrinâ ac religione celebrium, executioni mandari: nullas Ecclesias privilegio Regaliæ fuisse olim exemptas, sed tantùm intervenisse negligentiam

gentiam suorum antecessorum, Regem autem jurasse recuperare ac stabilire omnia jura regni, nec posse salvâ conscientiam negligere. Duos Episcopos, maximè qui in causa *Lansenii* semper usque ad comminationem excommunicationis ipsi Romæ contumaces fuerint, præponi non debere omnibus aliis Galliæ Episcopis. Adhæc quæstionem facti tantum esse, an consuetudo illa fuerit per omnes Galliæ Ecclesias, hinc ad senatum Regium spectare resolutionem; quæstionem verò juris, (quales tantum spectent ad forum Ecclesiasticum) an nempe jus Regaliæ tutò possit à Rege possideri, maximè si pro hoc consuetudo & privilegia pugnent, jam esse definitam à *Conc. Lugdun.* Replicavit Roma hæc extrarem esse, non impugnari privilegia data, non negari collata in Ecclesiam merita, tantum impugnari, quòd onus Regaliæ extendatur ad Ecclesias omnium testimonio liberat: lædi libertatem Ecclesiasticam exagitando & relegando Episcopos, qui his se opponant & Romam implorent: esse publicos in Regiis Ministris excessus &c.; ad auctoritatem Ecclesiæ spectare his omnibus poni modum. Interea variæ Pontificis querelæ emanarunt contra Episcopos Gallicanos: accessit excommunicatio Archiepiscopi Tholosani, & facultas à Papa concessa, ut sententiales *S. Augustini* prope Parisios possent eligere Antistitam contra decretum Archiepiscopi Parisiensis, qui Antistitam eis præfecerat. Ex his aucta est exacerbatio Cleri pro causa communi, & Parisiis indicta Comitia.

§. VI. Post multas hinc inde altercationes Clerus Gallicanus anno 1682. edidit declarationem per
4. sequentes propositiones. 1402

1. B. Petro ejusque successoribus Christi Vicariis ipsique Ecclesiæ rerum spiritualium & ad æternam salutem

salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium à Deo traditam potestatem, dicente Domino, *Regnum meum non est de hoc mundo*, & iterum, *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ sunt Dei Deo*: ac proinde stare Apostolicum illud, *Omnia anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt: itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Reges ergo & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subijci, neque autoritate clavium Ecclesiæ directè vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à fide ac obedientia ac præstito fidelitatis Sacramento solvi posse, eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam nec minùs Ecclesiæ quàm Imperio utilem, ut verbo Dei, PP. traditioni & SS. exemplis consonam omnino retinendam.

2. Sic autem inesse Apostolicæ Sedi ac Petri successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctæ œcumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetuâ religione custodita decreta de autoritate Conciliorum generalium, quæ SS. 4. & 5. continentur; nec probari à Gallicana Ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiæ sint autoritatis ac minùs approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

3. Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentiâ consecratos; valere etiam regulas, mores & instituta à regno & Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos, atque id pertine-

pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis, ut statuta & consuetudines S. Sedis & Ecclesiarum consensione firmatæ propriam stabilitatem obtineant.

4. In fidei quôque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere; Nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.

§. VII. De hac declaratione sic statuit *Ludovicus XIV.* 23. Maji 1682., 1. Prohibuit in toto regno, etiam Regularibus in suis domibus, ne aliquid vel uni ex his articulis contrarium doceretur. 2. Statuit, ut omnes imposterum admittendi ad docendam Theologiam submitterent se ad docendos illos articulos. 3. Voluit, ut in singulis universitatibus unus obligaretur ad docendos singulis annis eos articulos. 4. Nomina eorum, qui obligabuntur unoquoque anno, voluit mitti ad Archi-Episcopos vel Episcopos vel Procuratores Generales, idque ante inchoationem studii annui. 5. Statuit, ut imposterum nullus fieret Licentiatus in Theologia vel jure, quin prius eam doctrinam in Thesibus suis propugnasset. 6. Vult, ut Archi-Episcopi, Episcopi &c., interpositâ suâ authoritate faciant doceri eos articulos. 7. Decanis & Syndicis facultatum Theologiæ injungit, ut curent hæc ad executionem perducere, alioquin eos responsuros, quasi de delicto suo. Denique mandat hoc suum edictum ubique publicari.

§. VIII. Declarationem illam Cleri annullavit *Inn. XI.* die 11. Aprilis 1682. & *Alex. VIII.* aliam edidit bullam die 4. Augusti 1690., *Inter multiples*, &c., in qua prorsus annullat & declarat ab initio fuisse & in perpetuum fore irrita omnia, quæ à Clero Gallicano acta sunt Parisiis anno 1682. Circa extensionem juris regaliæ, circa propositiones
IV.

IV. de potestate Ecclesiæ, & alia omnia, quæ quomodocunque præjudicent libertati Ecclesiæ. Vide *Vind. Gob.* p. I. obs. 3.

1405

§. IX. Quod singulas propositiones attinet, certissimum est Papam habere directam potestatem in spiritualia; attamen fatendum est eum *Sfond.* l. 1. §. I. non habere ordinariam & directam in Principes sæculares, ut eos deponat, (Quidquid sit de populo & proceribus, de quibus videri potest *Diana* post p. 10. T. I. R. 5. & seqq.) aut ut de eorum bonis temporalibus disponat, quamvis aliqui apud *Moyam* T. I. Tr. 6. d. 3. q. 3. n. 10. oppositum tenuerint, quorum sententiam *Victoria* dicit esse manifestè falsam & confictam ad adulandum Pontifici: hinc *Inn.* III. Vir doctissimus Cap. *Pro venerabili*, Qui filii legitimi, fatetur se non habere potestatem, nempe directam, in temporalibus super Regem Galliæ; estque idem de aliis Principibus. Nihilominus habent potestatem extraordinariam & indirectam, quando ita postulat necessitas tuendæ religionis, probatque id *Sfond.* §. 2. & seqq., ex Scripturis, jure Canonico, SS. PP. Doctoribus Ecclesiæ ac cæteris AA. id communissimè asserentibus: Et à §. 17. rationes addit, solvitque objectiones; & pressius declarat, in quibus casibus id possit Summus Pontifex. Denique §. 20. notat censuras, quibus sententia opposita Cleri Gallicani à gravissimis DD. est affecta.

1406

§. X. Idem *Sfondratus* l. 2. latè probat Papam esse supra Concilium, idque evincit ex Scriptura & ex agnitione ipsorum Conciliorum generalium. Nec contrarium est *Conc. Constant.*, quod quotiescumque Concilii supra Papam auctoritatem extollit, semper restringit ad Concilium tempore grassantis schismatis ac incerti Papæ, uti pluribus ostendit *Sfond.* §. 2. n. 13. & §. 16. n. 1., ubi n. 2. ostendit

dit decretum *Conc. Basileensis* contrarium asserentis, esse reprobum: speciatim autem §. 8. probat appellationem à Papa ad Concilium esse frivolum & damnabilem. Seqq. §. §. eandem Papæ auctoritatem supra Concilium demonstrat auctoritate SS. PP. aliorumque DD., ac invictis rationibus: Attamen §. 14. recenset, in quibus casibus major sit auctoritas Concilii quàm Papæ; & quæ contra dicta opponuntur, solvit §. 17. & seqq. Vide dicta l. 1. n. 202. Rectè etiam probatur in *Vindiciis Gob.* p. 1. obs. 3. ad hoc, ut definitio vel declaratio Pontificis in materia fidei aut morum sit infallibilis, non prærequiri judicium Episcoporum aut consensum Ecclesiæ, sed hoc judicium & hunc consensum debere subordinari definitioni aut declarationi Summi Pontificis.

§. XI. Probat *Sfondr.* l. 4. Papam posse ex causa dispensare in omni lege Canonica; item Papæ è cathedra, quamvis extra Concilium, loquentis infallibilem esse auctoritatem quoad materias fidei & morum, probat l. 3. §. 2. & seqq., quod etiam diximus l. 1. à n. 202. 1407

C A P U T III.

1408

De statu & officio personarum secularium quarundam, præsertim judicialium.

D U B I U M I.

Quæ requirantur, ad legitimum judicium.

R Esp. Hæc tria: Primum est, Jurisdictio, sine qua sententia nulla est, & peccatur mortaliter, ut ex *D. Thom.* 2. 2. q. 60. habet communis. Quare peccat Judex secularis, si personas aut causas merè Ecclesiasticas, ad se trahat: uti & Ecclesiasticus, si merè civiles: